

ex illa natione etiam aliquos ad aeternam beatitudinem elegit, qui scilicet vel tunc vivebant, vel ex illis usque ad finem mundi nascituri erant. Unde Augustinus epist. praecitata rursus ita scribit: « Non enim debemus ambigere, quando eversa est Jerusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcissione crediderant, sive fuerant credituri electi ante constitutionem mundi, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia mala fierent. » Sicut ergo ab aeterno decretum erat, ita et in tempore fecit divina Providentia, ut citò bello et calamitibus finis imponeretur, Romanis Judaeos ceteris superantibus. Dei manum Titus ipse agnovit, ut ex Josepho constat, lib. praecitato, cap. 15. Unde idem, ut narratur apud Philostratum, rejecta coronâ sibi oblata, fatabatur non se talium operum auctorem fuisse, sed Deo contra Judaeos iracundiam demonstrante, praevalesse.

## QUESTIO VII.

De quibusdam aliis hâc spectantibus.

Math. 24, v. 25: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Transit hic Dominus à signis excidii Hierosolymitani ad signa excidii totius orbis: nam vasto Jerusalem vastationis et finis mundi typos fuit. Itaque illud tunc omne tempus, quod ab excidio Hierosolymitano usque ad finem mundi labitur, comprehendit, et maxime tempus Antichristi. Si quis vobis dixerit, discipulis videlicet meis; nam sub apostolis omnes fideles intelligit: *Ecce hic est Christus, aut illic*; id est, hoc aut illo loco apparuit Messias, qui Judaeos, aut vos à calamitatibus liberet, felicitatemque largiatur: *Nolite credere*, quia non nisi unus est Christus, qui jam vivit. Inter tales fuit olim impostor ille, de quo agit Eusebius, lib. 4. Histor., cap. 6, qui sub Adriano imperatore finxit se esse Messiam, ideoque vocari voluit *Barchochebas*, id est, filius stellae, quasi in ipso implectitur illud Balaam de Messia vaticinium: *Orietur stella ex Jacob*, Numer. 24. Tales etiam multi erunt tempore Antichristi, et ipsomet Antichristus totâ professione hoc acturus est. Ab his autem et similibus ut fideles sibi praecaveant, praecipit Christus, et tum subiungit:

V. 27 et 28: *Sicut fulgur erit ab Oriente, et pariet usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. Ubicumque fuerit corpus (in textu Graeco habetur cadaver) illic congregantur et aquilae.* Hâc similitudine Christus indicat ita manifestum fore adventum suum ad iudicium, ut ad ipsum electi instar aquilarum nullo monstrante, sint convolaturi. Aquilae, ex distant loco cadaveris odorem percipiunt, et ad escam congregantur. Unde Job 59, v. 50, de aquilâ dicitur: *Ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Sicut ergo aquilae, nemine ostendente, ad cadavera convolant, sic electi tempore extremi iudicii, nemine indicante, ad Christum convolabunt. Christus autem se comparat cadaveri, propter mortem corporis, quam pro nobis subiit; sanctos verò suos aquilas, quod aquilarum instar in altis super terrena volent, oculatissimi in Christum velut solem oculos figant, senectutem renovent. Sen-

sus igitur est: Ubicumque fuerit, cùm instar fulguris in nubibus apparuerit, cò saneti mei, sententiae praesentiae: mea virtutem, tanquam ad escam suam, ex omnibus orbis partibus summo desiderio rapti in nubibus obriam mihi in aera convolabunt, ut me laque gloria felicissimè reficiantur, pascantur, et beneant in aeternum; ac proinde tunc non opus erit inquisitione, ubi sit Christus; utpote cuius adventus erit gloriosus, et toti mundo conspicuus. Hoc est quod ait Paulus: *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

V. 29. *Statim autem post tribulationem illorum dierum; nempe quibus pseudochristi et pseudopropheta dixerint: Ecce hic est Christus, etc., per quod praecipue tempora Antichristi significantur, ut exponunt S. Chrysost. et Theophylactus, sol. obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur.* Nota haec signa, inquit à Lapide, non fore post generalem resurrectionem, ut censent S. Hieron. et Chrysost., sed ante eam, ut patet ex Luca cap. 21, v. 26, et ex Joela cap. 3, v. 51.

Sensus statim citati loci iuxta S. Aug., epist. 80, est: Sol, id est, Ecclesia, obscurabitur; quia in tantâ tribulatione et tentatione, quanta erit in fine mundi, multi cadent à fide et gratiâ, qui videbantur esse illustres et firmi, ut sol et stellae. Hic sensus est solummodò mysticus et allegoricus; nam quòd iuxta sensum litteralem haec in sole et luna, ac stellis à parte rei sint eventura, patet ex Luca, loco praecitato, et idipsum passim docent Patres et interpretes.

Sensus igitur literalis est quòd sol à parte rei sit futurus tenebrosus: vel per interpositionem densae nubis, vel Deo subtrahente suum concursum ad ejus lumen; quo facto, etiam luna necessariò obscurabitur, cùm non habeat lumen nisi à sole.

Quòd stellae sint lapsurae è caelo, metaphora est, per quam designatur quòd splendor ipsarum sit subtrahendus. Unde Joels 3, v. 15, dicitur: *Stellae retraherunt splendorem suum.* Deinde iuxta astrologos stellae sunt multò majores terrâ, adeoque super terram cadere nequeunt. Fortè etiam aliqui ignes, sive ignite exhalationes, tanquam stellae, è caelo super terram lapsurae sunt.

Quomòdò virtutes caelorum movende sint non facile dicitur. S. Chrysost. intelligit angelos commovendos admiratione; auctor sermonis 120 de Tempore, inter opera S. Augustini, dicit angelos commovendos timore reverentiali. Cajetanus putat intelligi potestates, sive vires corporum coelestium, quae illo tempore movebuntur. Alii existimant intelligi sidera omnia, iuxta illud Psal. 52: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sed cùm de stellis Christus aed egerit, non videtur ista explicatio satis solida. Estius per virtutes caelorum intelligit diabolum in aere degentes: sed difficulter probat.

Vero similis est quod ait Tiriunus, nempe: Vir-

tes, id est, potentiae, vires, sive ipsa caeli roborata, fundamenta, et cardines insolitis motibus loco disturlabuntur: et haec quasi rationem assignat S. Lucas cap. 21, v. 26, cur stellae cadere videantur. Dicit enim: *Arescentibus hominibus praetimore et expectatione, qua supervenit universo orbi: nam virtutes caelorum movebuntur.* Et consequenter omnes caelorum aspectus, et influentiae perturbabuntur; unde et in terris omnia ex caelorum influentibus pendencia possimilunt. Simile Job 56, v. 50. Nempe haec mundi occumbentis, expirantis et quasi animam agentis symptomata sunt. Ita Tiriunus.

Dum omnia perituri mundi, et novissimi iudicii diei praecurrentia mala Dominus praedixerat, simul etiam diem illum novissimum occultum fore declaravit, et ideo semper vigilandum et paratum esse providè praemonuit: idque tum exemplis, tum parabolis edocuit; nimirum de patrefamilias domum suam contra furis insidias custodiende; de servo fidei reddito Domini sui expectante; de decem virginibus, sponso suo cum tam tardibus occurrentibus, etc., ac tandem formam iudicii generalis subiunxit, Math. 25.

## CAPUT XXIV.

## QUINTUM PASCHA.

Feriâ quintâ hebdomadae majoris, seu die jovis, Jesus Christus sub vespere, dum incipiebat prima dies Azymorum, agnum paschalem cum suis discipulis manducavit. Peractâ autem cenâ agni paschalis, et pedum lotionem, cùm recubisset iterum, dixit quòd unus ex duodecim apostolis ipsum esset traditurus. Postea Eucharistiam instituit: deinde praedictionem proditoris iteravit, et proditorem manifestavit, porrigendo illi buccellam intinctam, quâ ille acceptâ, statim exivit, Math. 26, Marci 14, Lucae 22, et Joan. 15.

## QUESTIO PRIMA.

An Christus anno ultimo vitae suae agnum paschalem manducaverit.

Nonnulli critici, inter quos Lamy, Toimard et Calmet, existimant quòd Christus hoc anno non manducaverit agnum paschalem, sed tantum Eucharistiam instituerit. Attamen

Resp. et dico: Nullatenus dubitandum, sed firmissimè tenendum est quòd Christus anno ultimo vitae suae agnum paschalem manducaverit.

Prob. 1<sup>o</sup>, quia ita senserunt unanimiter Patres Concilii Tridentini sess. 22, cap. 1, ubi ita definiturunt: *Celebrato veteri paschâ, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit paschalem, seipsum ab Ecclesiâ per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem.*

Prob. 2<sup>o</sup>, quia id etiam clarissimè patet ex Evangelio. Math. 26, v. 17, dicitur: *Primâ autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis parare tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ne in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis*

meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Idem habet Marcus, cap. 14, v. 12, et Lucas, cap. 22, qui et addit, v. 15, Christum dixisse apostolis: *Desidero desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ex quibus verbis adeò evidens est quòd Christus isto anno manducavit agnum paschalem, ut eruditè concipere non valeat quomodo praefati critici hoc negare ausi fuerint.

Obj. 1<sup>o</sup>: Verba illa quae mox ex Luca citata sunt, non possunt intelligi de pascha legali; ergo nec alii textus.

Prob. aut, quia verba ista intelliguntur de Eucharistia: Nam primò Christus non agebat magno desiderio comendi agnum paschalem, quem satis saepe comederat.

Secundò, quia Christus illa verba dixit, dum instituit Eucharistiam; nam sequitur immediate, v. 17: *Et accepto calice gratias egit, et dixit: accipite, et dividite inter vos, etc.*

Resp. Neg. ant. Nam omnia verba praecedentia agunt de preparatione Paschalis per discipulos apud quemdam civem Hierosolymitanum, ac deinde dicitur, v. 15: *Et paraverunt Pascha.* Et cùm facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo. Et ait illis: *Desidero desideravi manducare hoc pascha, etc.* Ubi è hoc pascha naturali constructione refertur ad illud pascha quod discipuli praeparaverant; praesertim cùm tunc pascha eucharisticum nomen existeret, nec discipuli scirent quid esset illud; atqui discipuli praeparaverunt pascha legale, non eucharisticum; nam praeparaverunt illud quod intelligebant; ergo illa verba necessariò intelligenda sunt de agno paschali.

Ad primum autem dico Christum desiderasse manducare illud pascha, non praesidè ideo quia amat carnem agniam, sed ut agno illi typico jam finem imponeret per institutionem Eucharistiae. Sic, Joan. 11, Christus desiderabat manere foris, aegrotante Lazaro, non quia ipsum specialiter delectabat habitatio forensis, sed ut ibidem dicit v. 15: *Gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi.*

Ad secundum respondeo negando assumptum: Nam etsi Lucas, v. 17, agit de calice eucharistico, tamen inde non sequitur quòd verba praecedentia dicta sint tempore institutionis Eucharistiae; siquidem Lucas ibidem non servat ordinem rei gestae; nam incipit ritum calicis consecrandi, antequam descriperit consecrationem panis.

Obj. 2<sup>o</sup>: Equidem nullus evangelista dicit expressè quòd Christus manducaverit agnum paschalem; ergo.

Resp. Nego ant. Nam satis expressè dicit quòd jussit parari pascha, ut manducaret illud; item quòd pascha paratum fuerit, et quòd factâ hora (nempe manducandi agnum paschalem; iam ad manducandum alia, non debet expectari certa hora) cum duodecim apostolis discubuerit. Quid poterunt expressius scribere ad significandum ipsum mandu-

casse paschale? Certè non tam expressè habetur quòd apud Phariseum manducaverit Luca 7, et apud Martham, Joan. 12; et tamen nefas est de hoc dubitare; ergo à fortiori nefas est dubitare an manducaverit agnum paschalem.

Obj. 3<sup>o</sup>: Christus non potuit illo anno manducare cœnam paschalem; ergo à posteriori satis constat quòd eam non manducaverit.

Prob. ant., quia juxta traditiones Judæorum, quas omnes accuratè refert rabbi Maimonides, leges servandas in celebratione paschalis erant hæc:

1<sup>o</sup> Agnus debet immolari lunâ decimâ quartâ computando primum diem, non à conjunctione lunæ cum sole, sed ab ejus primâ phasi, seu à primo ejus aspectu, qui dies debet annuntari populo à synedrio, seu primo concilio Judæorum. Atqui juxta Tabulas astronomicas dies decima quarta phasis lunæ incidit illo anno quo Christus mortuus est, in diem veneris, non in diem jovis; ergo, etc. 2<sup>o</sup> Debet agnus immolari in templo; quia debet adæps omnis sacrificii immolari in altari holocaustorum; atqui hoc Christus non fecit; nam alias fuisset captus; ergo. 3<sup>o</sup> Post comestionem agni nihil amplius poterat comedi; atqui Christus illâ vespere cenavit, et instituit Eucharistiam; ergo antea non manducaverat pascha. 4<sup>o</sup> Pascha non poterat comedi nisi à mediâ nocte usque ad auroram: Christus tamen citius manducasset.

Resp. Neg. ant. ejusque probationem: nam cum de illis legibus nihil omnino habeatur expressum in Scripturis, tanquam gratis excogitate, inò ut propositis falsæ rejiciendæ sunt. Et reverà à rabbinis posterioribus, ac fortè à solo Maimonide conficte sunt ad accusandum Christum sacrilegii, seu violatæ legis Moisaicæ: nam cum omnes penè Catholici sustinerent Christum celebrasse ultimum pascha, Rabbinii contra ipsos argumentabantur: Christus leges in celebratione paschalis præscriptas non observavit; ergo violavit legem Moisaicam. Et præcisè posuerunt omnes tales leges, quas Christus certò non observavit, præsertim num. 3 et 4.

Itaque dicendum est hanc questionem esse resolvendam secundum Scripturam, non secundum rabbinicas traditiones seu leges, ad quas ulterius etiam ordine respondeo.

Ad primum dico illam non tantum nullum fundamentum habere in Scripturâ sacrâ, sed etiam videri impossibilem; quia tempore Christi Judæi erant per plurimas mundi partes dispersi: quomòdo ergo synedrium poterit illis annuntiare diem Paschalis, quam ipsam synedrium tantum poterat scire quatuordecim diebus ante, videlicet dum primò viderat lunam? Deinde falsum est quòd computarent dies à primo aspectu lunæ; nam poterat aer esse nubilus, ita ut primis diebus lunam videre non possent. Item 1 Reg. 20, v. 5, David dicit Jonathæ: *Ecce Calendarium sunt crasino*, id est, novilunium. Undenam, quæso, potuit scire quòd postredidit futurus esset primus aspectus lunæ, si non poterit scire quandonam esset

prima conjunctio? Præterea Judæi debebant certis ac statis diebus celebrare sua festa, et ad dies illos inveniendos utebantur computu lunari; atqui si primam diem computasset à primo aspectu lunæ, festa sua certis ac statis diebus celebrare non potuissent; quandoquidem, ut jam dictum est, prima lunæ phasis seu apparitio incerta foret, nec ubique eodem tempore fieret, propter interficientes nubes quæ ejus conspectum primis diebus impedire poterant; et sic potuisset aliquando contingere ut Pascha celebraretur duobus aut tribus diebus post plenilunium mensis Nisan: quod tamen cum nullo modo admitti possit, non videtur etiam ullo modo verisimilis præfata opinio.

Ad secundam nego suppositum, nempe quòd agnus paschalis debuerit immolari in templo per sacerdotes Aaronicos; nam minister istius sacrificii erat quilibet paterfamilias, ex quacumque tribu foret; ut probavimus alibi. Christus igitur ipse, tanquam paterfamilias collegii apostolorum, agnum in hospitio suo Hierosolymis mactavit, et deinde assatum cum discipulis suis manducavit.

Ad tertiam dico quòd hæc nullibi præcipitur; sed è contrario verum appareat agnum debuisse primò comedi, quia debet totus omnino comedi; atqui si postea adhuc esurissent, poterant certò manducare, cum esset dies communis lætitiæ; ergo, etc.

Quartam esse falsam, patet ex cap. 12 Exodi, et ex cap. 35 lib. 2 Paralip., ubi dicitur quòd Judæi manducarent agnum paschalem vespere, non verò mediâ nocte.

Has autem, uti varias alias rabbinorum fabulas fuisse refutat auctor Analyseos, dissert. 29. Et reflectionem meretur quòd de prædictâ opinione habet Graveson, scilicet Hieronymum Vechietum ob illam sententiam fuisse ab inquisitoribus ad multos annos incarcerationum, ipsisque ejus sententiam fuisse visam esse contra sacrarum Litterarum fidem, contra Ecclesiæ universæ auctoritatem, contra sanctorum Patrum doctrinam, etc.

#### QUESTIO II.

*Quo die Judæi debuerint manducare pascha, et quandonam azyma.*

Tempus immolandi ac manducandi agnum paschalem statuitur Exodi 12, v. 6 et seq., ubi dicitur: *Et servabitis eum (nempe agnum paschalem) usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vespere...* Et edent carnes nocte illâ assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. In textu Hebræo, loco, ad vespere, habetur: *Inter duas vespere*. Prima autem vespere dicitur ab illo tempore quo sol post meridiem incipit declinare ad occasum usque ad horam tertiam; secunda vespere dicitur ab occasu solis usque ad noctem; adeoque tempus inter duas vespere est ab horâ tertîâ usque ad occasum solis. Iste autem modus sic computandi duas vespere habet fundamentum in ipsâ Scripturâ sacrâ, putâ Matth. 14, ubi unus ejusdemque diei duplex distinguitur vespere, scilicet una

v. 15, antequam Christus multiplicasset quinque panes et duos pisces; altera verò v. 25, ubi dicitur quòd postquam Dominus multiplicatis quinque panibus et duobus piscibus turbas pavisset, ipse vespere facto solus manserit in monte.

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Sustinuerunt aliqui quòd Judæi debuerint manducare Pascha die decimâ tertîâ mensis primi seu nisan, vespere; et quòd tantum die decimâ quintâ esset solemnitas Paschalis et Azymorum: et sic tota dies decima quarta mediabat inter comestionem agni, et diem festum Azymorum. Pro hæc sententiâ Vasquez in 3 p., disput. 172, cap. 4, citat Oleastrum in cap. 25 Levit., et Stellam in cap. 12 Lucae. Eiusdem etiam opinionis fuit noster Aloysius Legionensis, doctor et professor S. theologiæ in Academiâ Salmanticensi, in opusculo de utrisque agni typis, et verè immolationis tempore legitimo. Unde in primâ vespere lunæ decimæ quartæ, quæ fuit postrema lunæ decimæ tertie, putat ille Judæos manducasse suum pascha; atque adeò id quòd Exodi 12, Levit. 25, aut alibi statuitur de agno paschali comedendo die decimâ quartâ ad vespere, intelligendum esse de istâ primâ vespere. Atamen

Dico 2<sup>o</sup>: Judæi debebant manducare pascha die decimâ quartâ mensis nisan in secundâ vespere, id est, illâ vespere quæ finiebat diem decimam quartam.

Probat, quia, ut ex textu Exodi supra citato manifestum est, debebant agnum paschalem manducare illâ vespere quâ incipiebant comedere azymos panes; atqui die decimâ tertîâ vespere nondum comedebant azymos panes; ergo nec etiam tunc comedebant agnum paschalem; adeoque non manducabant pascha die decimâ quartâ in primâ vespere, ut dicunt adversarii; id est, in vespere præcedente diem decimam quartam, quæ est vespere diei decimæ tertie. Ut autem probetur minor,

Dico 3<sup>o</sup>: Judæi debebant comedere azyma ab illo præcisè tempore quo comedebant pascha, ut patet ex eodem præcepto textu Exodi; adeoque à vespere diei decimæ quartæ.

Prob. 1<sup>o</sup> quia omnia festa Judæorum incipiunt à vespere præcedente, juxta legem Levit. 23, v. 32: *A vespere usque ad vespere celebrabitis sabbata vestra*. Atqui die decimâ quintâ erat solemnitas seu festum Azymorum; ergo incipiebat à vespere præcedente.

Confirmatur, Levit. 23, v. 27 dicitur de festo Expiationis: *Decimo die mensis hujus septimi dies expiationis erit celeberrimus*. Atqui tamen hoc festum incipiebat præcisè à vespere præcedente, ut constat ex versu 32, ubi dicitur: *Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras die nono mensis*. Hebræicè est: *In nonâ mensis in vespere*. Ergo similiter festum Azymorum incipiebat à vespere immediatè præcedenti; ac consequenter non manducabant azyma in fine diei decimæ tertie, sed in fine duntaxat diei decimæ quartæ.

Prob. 2<sup>o</sup>: Exodi 12, v. 18 dicitur: *Primo mense, quartâ decimâ diem mensis ad vespere, comedetis azyma,*

*usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vespere*. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Atqui si debuissent comedere azyma à vespere secunda diei decimæ tertie, non fuissent dies septem, sed octo; ergo, etc.

Prob. 4<sup>o</sup> quia citato cap. Exodi, v. 6, ubi primò hoc præceptum datur, dicitur de agno paschali: *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, etc.* Atqui si agnus comestus fuisset, et simul azyma, die decimâ tertîâ vespere, non fuisset servatus usque ad diem decimam quartam; ergo, etc.

#### Solvuntur argumenta.

Obj. 1<sup>o</sup>: Debebat agnus et azyma comedi die decimâ quartâ ad vespere; atqui vespere diei erat vespere diem præcedens, et non claudens, ut constat ex probatione præcâ; ergo si debuerint manducari ad vespere diem decimæ quartæ, debebant manducari die decimâ tertîâ vespere.

Resp. Disting. min. Vespere diei sollemnis et festivi erat vespere diem præcedens, concedo. Vespere diei usualis seu communis, et non festi, erat vespere diem præcedens, nego minorem. Non enim omnes dies apud Judæos incipiunt à vespere præcedente, sed solti festivi: alii enim frustraneum fuisset illud præceptum: *A vespere usque ad vespere celebrabitis sabbata vestra*.

Obj. 2<sup>o</sup>: Josephus, lib. 2 Antiq., cap. 5, dicit: *Festa per octo dies celebramus quos vocamus Azymorum*. Atqui dies octavus finiebat vigesimâ primâ mensis vespere; ergo primus incipiebat decimâ tertîâ vespere.

Resp. Neg. conseq., quia Josephus computando octo dies Azymorum videtur simul includere diem decimam quartam, in quantum aliqua ejus pars, seu finis concurrebat cum initio septem dierum Azymorum: sic enim computando à die decimâ quartâ inclusivè usque ad vigesimam primam similiter inclusivè, invenies octo dies; sed computando legaliter ab occasu solis diei decimæ quartæ usque ad occasum vigesimæ primæ, prout dies Azymorum computari debebant, tantum invenies præcisè septem dies legales. Hoc autem sensu dicit vel ipse Josephus, lib. 3 Antiq., cap. 10: *Mense nisan, lunâ quartâ decimâ... pascha quotannis instaurare lege jubemur; celebramusque id per sodalitia, nihil è vicinis in sequentem diem relinquentes, quæ est quinta decima, et Azymorum festivitas prima... duraque dies septem, per quos panibus non fermentatis vescuntur.*

Si alieni jam data solutio non placeat, dicat auctoritatem Josephi hic non esse admittendam, eò quòd apertè contradicat Scripturæ, Exodi 12, v. 15 et 16, ita statuenti: *Septem diebus Azyma comedetis... Dies prima erit sancta atque sollemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis*. Item Levit. 25, v. 6: *Septem diebus Azyma comedetis*. Et Numer. 28, v. 17 et 23, idem repetitur. Idem Deuter. 16, v. 3 et clariùs, v. 8: *Sex diebus comedetis Azyma, et in die septimâ, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

Obj. 3<sup>a</sup>: Judei singulis annis celebraverunt suam Pascha illa die et hora, quae fecerant primum phase in Aegypto; atqui hoc fecerunt in primâ vesperâ lunae decimae quartae, quae erat posterior seu finis lunae decimae tertiae; ergo, etc.

Major certa est, et evidenter constat ex cap. 12 Exodi v. 14, ubi Judaei ita praecipitur: *Habebitis autem hunc diem in monumentum; et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedatis*, etc. Item liquet ex fine illius praeepti, et solemnitate à Domino demandata, scilicet in memoriam beneficii eâ nocte accepti; quia angelus percussit primogenitos Aegyptiorum, transilerat domus Hebraeorum propter sanguinem agni, quo domus eorum in postibus suis erant linata. Itaque

Prob. min., quia Judaei celebraverunt primum phase, antequam egredierentur de Ramesse, seu die immediate precedente egressum, ut patet Numer. 55, v. 5: *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, alterâ die Phase, filii Israel in manu excelsâ, videntibus cunctis Aegyptiis, et septentibus primogenitos*. Porro egressus ille contigit de nocte, ut exprimitur Exodi 12, v. 42: *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terrâ Aegypti*. Atqui non poterunt egredi eâ nocte quâ manducaverant pascha, ut patet ex eodem cap. Exodi, v. 22, ubi de nocte illâ, sub cujus initium comederant phase, praecipit Deus: *Nullus vestrum egredietur ostium domus suae usque mane*. V. 25: *Transibit enim Dominus percussus Aegyptios*. Ergo nox, quâ egressi sunt, non fuit illa, sub cujus initium celebratum est phase: atqui tamen nox illa fuit media inter diem decimam quartam et decimam quintam; ergo quando dicitur agnus immolatus lunâ decimâ quartâ ad vesperam, hoc est intelligendum de primâ vesperâ, quæ est initium diei decimae quartae.

Prob. hoc ultimum subsumptum, nempe quod nox illa quâ egressi sunt, fuerit media inter diem decimam quartam et decimam quintam; quia si exivissent die decimâ quintâ post occasum solis, seu nocte mediante inter decimam quintam et decimam sextam, exivissent die decimâ sextâ: nam dies festi, qualis erat decima quinta, sicut ab occasu solis diei precedentis incipiebant, ita similiter vesperâ post occasum solis decinebant.

Resp. Disting. prius subsumptum; atqui non poterunt egredi eâ nocte quâ manducaverant pascha, ante summum mane, seu circa medium noctis, concedo: circa finem noctis, seu crepusculum matutinum, nego subsumptum. Unde ut omnia bene conciliarentur, distingui potest duplex egressus Israelitarum ex Aegypto; unus quasi confusus et praeeptus, qui turmatim fieri cepit nocte jam ad finem vergente, nimirum circa crepusculum matutinum, quando Aegyptii morâ impatiens, ntpote tot calamitatibus ac praesertim subitâ primogenitorum interiectione terrâ, urgebant Hebraeos ut de terrâ exirent velocius. Alter egressus erat ordinatus, et per modum exercitûs, qui

factus est non tantum illucescente, sed etiam plenâ die; atque ita facile combinantur praeciata Scripturae testimonia. Dum enim Exodi 12 dicitur Hebraei de nocte exivisse, intelligi hoc debet de primo egressu, quando omnes paulò ante solis ortum coeperunt egredi è suis respectivè habitaculis, versis Ramessem, in quâ civitate omnes simul congregati sunt. Quando verò dicitur egressi, *videntibus Aegyptiis et septentibus primogenitos*, Numer. 55, intelligi id debet de egressu, quando ordinatè eadem die, scilicet decimâ quintâ, ante solis occasum profecti sunt in Socoth, ubi castra metati sunt.

Quòd autem eadem nocte, quâ manducaverunt Phase, egressi sint, patet primò ex ipsomet textu Exodi supra citato: *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terrâ Aegypti: hunc observare debent omnes filii Israel*, scilicet festivâ seu legali, non naturali) *educam exercitum vestrum de terrâ Aegypti*.

Patet secundò, quia ex Exodi 12, constat quòd egressi sint eadem nocte, quâ percussi fuerunt primogeniti Aegyptiorum, siquidem ibidem, v. 34, dicitur quòd Pharao et Aegyptii statim post stragem primogenitorum surrexerunt, et coegerint Israelitas exire tam velociter ut non poterint panes fermentare. Atqui ex versu 22, 25 et 29 certum est quòd primogeniti Aegyptiorum percussi fuerunt illa nocte quâ Israelite manducaverunt pascha; ergo egredi coeperunt ex Aegypto in fine noctis, quâ comederant agnum paschalem.

Inst. 4<sup>a</sup>: In textu supra citato ex libro Numerorum dicitur quòd populus Israel profectus sit de Ramesse alterâ die Phase; ergo Phase celebratum fuit ante diem egressionis, adeoque lunâ decimâ quartâ incipiente.

Resp. Neg. conseq., quia dies egressionis de Ramesse merito dicitur alterâ dies Phase, cum pertinet ad lunam decimam quintam; ubi tamen dies Phase pertinebat ad lunam decimam quartam, ut supra dictum est.

Inst. 2<sup>a</sup>: Israelite erant sexcenta millia armatorum, absque parvulis et mulieribus; deinde vulgus promiscuum innumerable, et greges pecudum infiniti; atqui tanta multitudo non potuit congregari nisi spatio ad minus undecim, vel duodecim horarum; adeoque non poterunt pervenire in Ramessem nisi post meridiem, ibique lassè debuerunt aliquot horis quiescere; ergo non eadem nocte, quâ celebraverunt Pascha, sed tantum nocte sequenti exiverunt de Aegypto.

Adde quòd Thanis civitas regia, ubi erat Pharao, distaret à terrâ Gessen, ubi erant Israelitae, circiter quatuordecim leucis: equidem tot distabat à Ramesse. Atqui illa nocte quâ manducaverunt pascha, Pharao dedit mandatam ut discederent. Subsumo ulterius: atqui illud mandatam non potuit ipsis notificari, nisi

ad minus octo horis; ergo: illâ eadem nocte non poterunt discedere, sed tantum nocte sequenti.

Resp. Neg. min. Nam ut constat ex Exodi 12, Moyses ita omnes Israelitas disposuerat, ut manducantes agnum essent succincti vestibus cum baculis in manibus parati ad discedendum. Ipse verò Moyses cum Aaron et aliis erat forsân in civitate regia, ubi mediâ nocte accepit mandatam discedendi, quòd mox per nuntios intimatum fuit aliis qui habitabant in terrâ Gessen. Item ipsi Aegyptii, qui habitabant cum Hebraeis, coegebant illos exire; qui omnes tandem simul congregati sunt in Ramesse, et locis vicinis, tantquam in ultimo termino Aegypti; et inde tunc eodem die, seu lunâ decimâ quintâ, continuatè itinere, non sentientes, vel non errantes lassitudinem, iterum in Socoth. Falsum autem est quòd civitas Thanis distaret à Ramesse quatuordecim leucis; siquidem tantum distabat tribus cum mediâ juxta Tabulam geographicam Adrichomii.

Si quis non possit credere Israelitas naturaliter loquendo potuisse omnia ista facere eodem die, agnoscat hic singularem Providentiam divinam, aut aliquod miraculum, quae agnoscit propheta regius, quòd nullus ex numerosâ illâ natione esset tunc infirmus. Psal. 104, v. 37: *Non erat in tribubus eorum infirmus*.

Obj. 4<sup>a</sup>: Antequam Israelite exirent de Aegypto, acceperunt ab Aegyptiis vasa aurea et argentea; atqui ista non poterunt accipere istâ nocte quâ comederunt agnum paschalem, quandoquidem tunc prohiberent egredi è domibus suis; ergo videntur illa accepisse die ante illam noctem, quâ egressi sunt, seu die decimâ quartâ. Jam verò, cap. 12 Exodi, v. 35, dicitur quòd ista vasa tantum acceperint post celebrationem Phase, et stragem primogenitorum; ergo restat ut Phase celebraverint lunâ decimâ quartâ ad primas vespas.

Resp. Neg. conseq., et dico quòd quæ Scriptura narrat contigisse post stragem primogenitorum, per figuram recapitulationis, quâ, quæ prius gesta sunt, posterius narrantur, reverâ contigerint ante illam. Hinc S. P. Aug., Quæst. 45 in Exod., agens de istâ acceptione vasorum, ac ceteris spoliis, quæ Hebraei ex Aegypto secum extulerunt, ita scribit: « Jam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Aegyptiorum, sed nunc per recapitulationem repetitur. Nam et narratum est (nempe cap. 11 Exodi) quando factum est. Modò enim fieri quomodo posset ut in tanto lectu ex moribus suorum accommodarent ista filiis Israel? »

Obj. 5<sup>a</sup>: Josephus, lib. 2 Antiq., cap. 5, agens de ipsâ immolatione Agni paschalis, quæ primum facta est in Aegypto, sic loquitur: *Illucescente autem decimâ quartâ die, omnes ad iter animati sacrificabant*. Atqui dicitur dies illucescere, quando primum incipit; decimâ quartâ autem dies apud Hebraeos incipiebat à primâ vesperâ; ergo Judaei in Aegypto celebraverunt Phase lunâ decimâ quartâ ad primas vespas.

Resp. Neg. conseq., quia istud, *illucescente*, potest

habere hunc sensum: Cum jam affugeret, seu adisset decimâ quartâ dies: quòd verum est, sive id intelligatur de ejus initio, sive de fine. Adh. Tourneley non esse hic accuratam latinam versionem textûs Josephi; quia in Graeco originali habetur verbum praeteriti temporis, et sic reddi debet: *Ubi venit luna decimâ quartâ, etc.* Quâ lectione positâ, ruit objectio.

#### QUÆSTIO III.

*An Christus manducaverit pascha eodem die quo ceteri Judaei.*

Putant aliqui Christum prævenisse pascha ad unum diem: dicunt tamen ipsum manducasse illo die quo juxta legem manducari debebat, scilicet die decimâ quartâ à primâ conjunctione lunæ cum sole; Judaeos verò manducasse die sequenti, quæ erat decimâ quartâ à primâ phase lunæ: nam, inquit, quando decimâ quartâ dies à conjunctione incidit in diem jovis, et per consequens dies veneris erat festum Azymorum, tunc transferebant pascha ad unum diem, ne habuissent duo festa continua, scilicet diem veneris et sabbatum.

Sed hæc diu post Christum conficta esse, patet primò ex heresi Quarto-decimanorum, qui contra Ecclesiam Romanam, celebrantem pascha semper in primâ dominicâ post lunam decimam quartam, sustinebant illud celebrandum esse cum Judæis præcisè lunâ decimâ quartâ, in quamcumque diem incidisset, ut referunt Eusebius, lib. 5 Histor. ecclesiast., cap. 25; S. Epiphanius, heresi 50; S. Augustinus, lib. de Heresibus, cap. 29; Philastrius, in heresi de festo Paschalis et multi alii; ergo tunc de istâ festi translatione nihil adhuc sciebatur.

Secundò, si transivissent pascha (ne habuissent duo festa continua) in sabbatum, tunc dies septima Azymorum, quæ erat tam solemnissimam primam, incidisset in diem veneris sequentem, et Pentecoste in diem dominicam (ut patet numerantî septem dies à sabbato inclusivè, et septem hebdomadas ac unum diem à die dominicæ, seu secundo Azymorum inclusivè) adeoque ut evassissent semel duo festa continua, incurrissent bis in duo festa continua.

Tertiò, quia Josephus lib. 13 Antiq., cap. 16, ostendit duo festa fuisse continua, scilicet sabbatum, et Pentecosten incidentem in diem dominicam.

Aliud systema excogitavit pater Harduinus, è Societate Jesu, scilicet quòd, quando Pascha incidit in diem veneris, tunc Galilæi illud debent celebrare die veneris, et Judæi die sabbati. Et hoc modo juxta citatum auctorem omnia quæ in controversiâ de ultimo Christi paschate visa sunt hactenus maxime intricata, ita plana fiunt et expedita, ut ne vel minimus scrupulus animo herere possit. Nam, inquit, cum agnorum matatio, quæ pascha dicitur, gemina foret; tres priores evangeliste, Mattheus nimirum, Marcus et Lucas, dum dicunt Christum primâ die Azymorum misisse Petrum et Joannem, ut pararent pascha, loquuntur de paschate Galilæorum, quòd anno mortis Christi præcessit integrâ die Pascha Judæorum. Quando verò S. Joannes, cap. 19, diem quæ Christus

mortuus est, appellat *parasceven Pascha*, designat illud pascha, quod Judaei illo anno celebrârunt die sequenti post pascha Galilaeorum.

Attamen et hoc systema nullo prorsus nititur fundamento, sed est planè fictitium. Nam primò lex obligabat omnes eodem die. Secundò hoc necessariò prodixisset schisma in uno et eodem populo, unum idemque festum in unâ et eâdem civitate celebrante diversis diebus. Tertio, non passi fuissent Galilaei se semper habere festa continua, ne Judaei unquam haberent continua. Quarto, non ita fiebat cum aliis festis. Quinto, nec ita solvitur difficultas ad conciliandum Joannem cum tribus aliis evangelistis: nam Christus, utpote Judaeus, debuisset pascha celebrare die decimâ quintâ cum Judaeis, non verò decimâ quartâ cum suis apostolis Galilaeis. Sexto, tres priores evangelistae dicunt Christum pascha manducasse, dum alii manducabant, sine ulla distinctione Judaeorum et Galilaeorum; nec illud negat Joannes, ut infra ex solutionibus objectionum patebit. Itaque cum opinionibus jam relate non subsistant,

Resp. et dico: Christus Dominus noster manducavit ultimum pascha cum discipulis suis lunâ decimâ quartâ, in vespere diem illum claudente, illo praecisè tempore, quo ceteri Israelitae, tam Judaei quam Galilaei, pascha immolabant, et quo necesse erat illud immolare.

Probat ut tribus prioribus evangelistis. Matthaeus, cap. 26, v. 17, dicit: *Primâ autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis parems tibi comedere pascha?* Et Marcus diem accuratius exprimens, cap. 14, v. 12, ita habet: *Primo die Azymorum quando pascha immolabant, scilicet Judaei juxta legem. Ac denique pressùs et claris ad huc diem exprimit Lucas, cap. 22, v. 7, dicens: Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha; nempè secundum mandatum legis, Exodi 12, v. 6. Ergo sive Judaei numeraverint suos dies à primâ conjunctione lunae cum sole, sive à primâ phasi (quod tamen supra, quæst. 4, dixi esse falsum) sive per aliquem cyculum similem nostro cyclo epactarum; equidem Christus manducavit pascha primo die Azymorum, et immolavit, quando pascha immolabant etiam Judaei, et illâ praecisè die, in quâ necesse erat occidi pascha. Ergo non manducavit illud uno die ante alios, nec etiam in ficto paschate Galilaeorum, cum tunc non esset necesse occidi pascha. Adde quod dicti tres evangelistae loquuntur de paschate tanquam de die unico et universali pro toto populo. Nam dicit Matthaeus: *Post biduum pascha fiet.* Marcus: *Erat autem pascha et Azyma post biduum.* Lucas verò: *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur pascha.* Ergo signum est quòd omnes Israelitae, sive Galilaei, sive Judaei, celebraverint pascha eodem die: Nam si aliqui illud celebrassent isto die, alii sequenti die, non satis distinctè locuti fuissent evangelistae.*

Solvuntur argumenta.

Obj. 1<sup>o</sup> Joan. 15, dicitur Christus stumpsisse ultimam cenam ante diem festum Paschae. Ergo illum

sumpsit uno die ante Judaeos, vel die decimâ tertîa vespere.

Prob. conseq., quia si sumpsisset die decimâ quartâ vespere, dies festus Pascha fuisset modò inchoatus, cum Judaeorum festa inciperent à vespere praecedenti; adeòque Joannes non potuisset dicere: *Ante diem festum Pascha.*

Resp. Neg. conseq., ac dico per diem festum intelligendum esse ipsum diem paschalem, sive diem usualem festi, scilicet ab ortu solis usque ad occasum: Nam quamvis Judaei celebraverint sua festa à vespere in vespere, tamen vespera praecedens non vocabatur *dies festus*, sed tantum dies sequens.

Probat ut supra dicitis quòd comestio agni paschalis et panis azymi inciperent simul, scilicet die decimâ quartâ vespere; adeòque festus Azymorum incipiebat cum Paschate. Atqui tamen in lege vespera Paschalis distinguitur à festivitate Azymorum tanquam praecedens illam solemnitate, nec alibi in Scripturâ vespera Paschalis vocatur *dies festus Pascha*. Ergo dum Joannes dicit: *Ante diem festum Pascha*, agit de die usuali. Similiter dies decima mensis septimi vocatur *dies Expiationum*, nullibi tamen vespera praecedens vocatur *dies festus Expiationum*. Quare

Prob. min. Levit. 23, v. 5, dicitur: *Mense primo, quartadecimâ die mensis ad vespere Phase Domini est, et decimâ quintâ die mensis hujus solennitas Azymorum Domini est.* Similiter, Numer. 28, v. 16: *Mense autem primo, quartâ decimâ die mensis Phase Domini erit, et quartâ decimâ die solennitas.* Ergo Scriptura apertè diem festum Azymorum seu Paschatis distinguit à vespere Paschalis, quamvis illud festum ab istâ vespere inciperet.

Inst. Non dicit Joannes: *Ante diem festum Azymorum*, sed: *Ante diem festum Paschae*. Ergo manifestè insinuat quòd Christus manducaverit ultimam cenam uno die ante Pascha Judaeorum.

Resp. Neg. conseq. Nam festum Azymorum, et festum Paschalis erat unus idemque dies, scilicet luna decima quinta: luna enim decima quarta non erat festum, ut patet ex ante dicitis. Unde etiam S. Lucas apertè asserit quòd dies festus Azymorum apud Judaeos vocaretur *Pascha*; prout liquet ex ejus verbis supra citatis. Quinimò omnes dies Azymorum vocatur *Pascha*, Act. 12, ubi Hierodas dicitur apprehendisse Petrum, et addit: *Erat autem dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem... volens post Pascha producere eum populo.*

Obj. 2<sup>o</sup>. Illo die quo Christus crucifixus est, Judaei nondum manducaverant agnum paschalem; ergo nondum erat dies Paschae Judaeorum.

Prob. ant. ex Joan. 18, v. 28, ubi de Judaeis dicitur: *Ipsi non introierunt in praetorium (Pilati) ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

Resp. Neg. ant. et ad probationem dico, in isto

textu Joannis non agi de agno paschali: nam agnus ille comederatur vespere valdè serò. Unde si fuissent immundi ex ingressu in praetorium Pilati, ista immunditia tantum durasset usque ad vesperam, sicut omnes aliae quae contrahebantur ex actu rei immundae; et sic non prohibuisset ipsos ab esu agni paschalis.

Dicendum igitur quòd evangelista Joannes per pascha intelligat victimas paschales, quae in solemnitate paschali immolabantur; et quae etiam *phase seu pascha* vocantur Deuter. 16, v. 2, ubi dicitur: *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus et bobus, in loco quem elegerit Dominus.* De illis etiam agitur 2 Paralip. 35, v. 7, ubi dedit Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solennitate, agnos et haedos de gregibus, reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia. Item ibidem, v. 8, duces leguntur dedisse sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtâ duo millia sexcenta, et boves trecentos. Talium verò victimarum, imò nullarum omninò poterant legitime immundi esse participes, juxta legem datam Levit. 22, v. 3: *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestrà ad ea quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* An autem, inquit D. Huygens, Judaei reverè fuissent contaminati, sive legitime facti immundi, ingrediendo domum hominis gentilis, ut erat praetorium Pilati, non opus est examinare; sufficit namque quòd ita ipsis esset persuasum.

Inst.: Oves illae et boves, seu victimae istae quae in solennitate paschali offerbantur, erant holocausta; nam, lib. 2 Paralip., cap. 35, v. 16, dicitur: *Ut facerent phase, et offerrent holocausta.* Atqui de holocaustis nemo participabat; ergo non ideò noluerunt Judaei intrare praetorium Pilati, ut participarent de istis victimis, sed ut manducarent agnum paschalem.

Resp. aliquis quidem istarum victimarum, sed non tamen omnes fuisse holocausta: dicitur enim loco citato Paralip., v. 15: *Pacificas hostias coxerunt, et distribuerunt universae plebi.* Deinde Deuter. 16, v. 3, dicitur: *Septem diebus comedes absque fermento.* Lectio Hebraica et Septuaginta interpretes addunt: *Super eo*, scilicet phase: atqui non comedebant septem diebus agnum paschalem; ergo per *phase seu pascha* etiam intelliguntur victimae pacificae paschales.

Notandum insuper, ad argumentum supra propositum etiam alio modo responderi posse; admittendo scilicet in praecitato textu Joannis sermonem quidem esse de agno paschali, sed pontifices seu principes sacerdotum non observasse debitum tempus manducandi pascha, eò quòd illâ vespere quâ agnus manducandus erat, toti fuerint occupati in procuranda Christi apprehensione. Ita sentiunt S. Chrysost., hom. 85 in Matth., et Theophylactus, in cap. 26 Matth., ubi et addunt pontifices in eo legem fuisse praevaticatos. Quapropter, dum idem Chrysost. alibi dicit Christum praevénisse unum diem in manducandâ cenâ, hoc sensu videtur accipiendum quòd uno die

S. S. XXXIII.

praevenerit non tempus à lege praescriptum, sed ipsos principes sacerdotum, qui tempus legitimum non observârunt.

Obj. 3<sup>o</sup>: Dies passionis Christi erat dies quo preparabant cibos pro festo Paschatis: dicit enim Joannes, cap. 19, v. 14: *Erat autem parasceve Pascha*, id est, dies preparationis ad Pascha. Ergo Christus pridè Paschatis Judaeorum crucifixus est; et consequenter non manducavit agnum paschalem eodem die quo ipsi eum comederunt.

Resp. Neg. ant. Nam non debebant preparare cibos pro Paschate, quia in ipso festo poterant coquere, juxta illud Exodi 12, v. 16: *Dies prima erit sancta atque sollemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quae ad vescentum pertinent.* Itaque ad verba Joannis dico, cum per *parasceven* significasse diem veneris, quae apud Judaeos semper est *parasceve*, seu preparatio ad sabbatum. Patet hoc ex verso 51, ubi dicitur: *Judaei ergo (quoniam parasceve erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato... rogaverunt Pilatum, etc.* Et claris adhuc Marci 15, v. 42: *Erat parasceve. quod est ante sabbatum.* Vocatur igitur *parasceve Pascha*, quia erat dies preparatorius sabbati paschalis. Vel etiam dici potest quòd ita vocetur, quia isto anno Pascha incidebat in diem parasceves: nam, ut testatur Samuel Bochartus, part. 1 Hierozoelen, seu de Animalibus Scripturâ sacrae, cap. 50, ubi de agno paschali agit, dies hebdomadae in Beresith Rabba, cap. 11, sic nuncuratur: Prima hebdomadae dies, secunda, tertia, quarta, quinta, parasceve, sabbatum. Cum igitur dies veneris semper ab Hebraeis *parasceve* vocaretur: non mirum est quòd dies veneris, quâ Christus mortuus est, et in quam tunc Pascha incidebat, fuerit à S. Joanne *parasceve Pascha* appellata, non secus quam modò à Christianis *dominica Paschae*, vel *Pentecostes* ea appellari solet in quam incidit festum Paschae vel Pentecostes.

Inst. Evangelista Joannes loco praecitato dicit de sabbato illo quòd immediate sequelatur diem Passionis Christi: *Erat magnus ille dies sabbati.* Atqui sabbatum illud non erat magnum praeter ceteris sabbatis, nisi quia eodem die Pascha Judaeorum celebratum fuit: hâc enim ratione verè magnum erat, quia sabbatum simul et Pascha fuit. Ergo Judaei isto anno tantum celebraverunt Pascha suum postridè passionis Christi; ac proinde *parasceve*, de quo loquitur Joannes, fuit dies preparatorius ad Pascha.

Resp. Neg. min., et dico sabbatum illud à sancto Joanne appellari *magnum diem*, quia anno mortis Christi sabbatum illud in secundam diem Azymorum, ad quorum celebrationem Judaei omnes undequaque Jerosolymam confluebant. Cum igitur illud sabbatum tam propter Azymorum dies, quam propter totius populi concursum esset apud Judaeos in majori cultu et veneratione, quam cetera sabbata, non mirum est quòd à Joanne fuerit appellatum *magnum dies sabbati*.

Obj. 4<sup>o</sup>: Non licebant in die festo opera servilia; atqui die quo Christus mortuus est, impleta sunt bal-

(Trente-trois)

samum et aromata; item sindon ad involvendum corpus Jesu, ut habetur Marci 13, v. 46. Ergo dies, quo Christus mortuus est, non erat festum Paschatis.

Resp. emptiones illas non fuisse propriè opera servilia, sed opera pietatis, quæ erant licita diebus festis. Unde, lib. Tobias, cap. 2, non reprehenditur, sed laudatur Tobias quod mortuum, licet die festo, sepeliverit, adeoque fossam foderit, corpus linteo involverit, etc. Quinimo opera illa etiam sabbatis licita erant: nam sabbato licitum erat bellum defensivum, ut patet ex 1 Machab. 2; adaquare pecora et jumenta, Lucæ 13, v. 15; jumentum quod in puteum ceciderat extrahere, Lucæ 14, v. 5; adeoque à fortiori opera pietatis, quæ erant necessaria.

Inst. Luca 25, v. 36, mulieres paraverunt aromata, ut corpus Christi ungerent; sed quia tam sero erat ut sabbatum illicesceret, dicit evangelista: *Et sabbato quidem situaverunt secundum mandatum, id est, secundum legem; ergo illa opera tunc non erant licita.*

Resp. 1<sup>o</sup>: Disting. ant. Sinerunt secundum mandatum legis, nego. Secundum mandatum, seu potius interpretationem scribarum ac Phariseorum, concedo antecedens. Sic secundum ipsorum mandatum non erat sabbato licitum vellere spicas, sanare infirmos, etc., et tamen illa opera erant licita secundum mandatum legis. Interim melius.

Resp. 2<sup>o</sup>: Disting. consequ. Ergo illa opera tunc non erant licita istis mulieribus, concedo. Ergo non erant licita in se, nego consequentiam. Ratio hujus est quod illa opera tunc nullo modo essent necessaria, sed superflua; nam corpus Domini erat sufficienter unctum à Nicodemo, ut aliquid diebus maneret incorruptum.

Obj. 5<sup>o</sup>: Anno quo Christus mortuus est, Pentecoste incidit in diem dominicum; ergo illo anno festum Pascha, seu dies primus Azymorum non incidit in diem veneris, sed in diem sabbati; adeoque Christus, qui mortuus est die veneris, mortuus est in vigilia festi, seu in parasceve Pasche.

Prob. consequ., quia Judæi debebant numerare 49 dies à secundo die Azymorum; et die sequenti, scilicet quinquagesimâ celebrare festum Pentecostes; adeoque Pentecoste semper incidebat in eundem diem hebdomadæ in quem incidebat secundus dies Azymorum, ut patet computanti. Cum igitur illo anno Pentecoste incidit in diem dominicum; sequitur quod secundus Azymorum etiam incidit in diem dominicum; ac proinde primus, seu festum Paschatis incidit in diem sabbati.

Pro hæc difficultate nota quod Levit. 25, v. 10, dicitur: *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, et messeritis segetem (seu metere inceperitis; nam Deuter. 16, v. 9, dicitur: Die qua falcem in segetem miseris), feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem, etc. Deinde, v. 15: Numerabitis ergo ab altero die sabbati (id est, festi Azymorum, adeoque à secundo Azymorum, seu die mensis decimo sexto) in quo obtulistis manipulum primitiarum,*

*septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem impletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, Debebat ergo die secundo Azymorum offerre manipulum spicarum, et ab eodem computare quinquaginta dies pro inveniendâ Pentecoste.*

Ad hæc autem difficultatem solvendam dicit Sylvius quod illum computum non debent incipere à die secundo Azymorum inclusivè, sed exclusivè; adeoque juxta ipsam Pentecoste semper incidebat in eundem diem hebdomadæ, in quem incidit tertius dies Azymorum.

Verùm hæc opinio non videtur subsistere: 1<sup>o</sup> quia in similibus Scriptura et communis usus intelligunt inclusivè. Sic, dicit Numer. 1 numerantur filii Israël à viginti annis, et supra, hoc non intelligitur à vigesimo anno exclusivè, sed inclusivè, etc. 2<sup>o</sup> Quia festum Pentecostes institutum erat in memoria Legis datae in monte Sinai, quæ data fuit die quinquagesimâ post egressum ex Ægypto, scilicet die sextâ mensis tertii; atqui si incæpissent numerare à secundo Azymorum exclusivè, Pentecoste semper incidisset in diem quinquagesimum primum, seu in septimam mensis tertii; ergo, etc.

Prob. min., quia à secundo Azymorum, sive decimo sexto mensis Nisan exclusivè, usque ad diem vigesimam nonam inclusivè (nam primus mensis, cum sit Iunar, habet tantum 29 dies, et secundus 50) restant 45 dies; deinde 50 mensis secundi, qui simul faciunt 45. Desunt igitur 7, ut faciunt 50.

Alii dicunt quod Spiritus sanctus descendit die sabbati. Sed hoc est contra unanimitatem apprehensionem fidelium, et antiquam Ecclesiæ traditionem, quæ semper existimavit ac firmiter tenuit quod Spiritus sanctus descendit super apostolos die dominicâ, seu quinquagesimo die à resurrectione Domini.

Nec dicatur quod ista traditio tantum fundetur in pseudo quodam sermone S. Augustini, puta in serm. 231 de Tempore: siquidem S. hic doctor idem tradit in veris et genuinis suis operibus. Etenim in Psal. 150 dicit: *Ipsa quinquagesimo die à resurrectione Domini venit Spiritus sanctus.* Et rursus, serm. 8 de decem Plagis et Præceptis, ita loquitur: « Non sine causâ et quinquagesimo die post ascensionem Domini venit Spiritus sanctus. Resurrexit Dominus; ascendit ab inferis, nondum in cælum: ab illâ resurrectione, ab illâ ab inferis assumptione numerantur quinquagesimæ dies, et venit Spiritus sanctus, in quinquagesimo numero tantquam natalem sibi apud nos faciens. Quæ draginta enim diebus hæc conversatus est Dominus cum discipulis suis, quadragesimo die ascendit in cælum, et peractis illi decem diebus, tanquam decimo præceptorum signo, venit Spiritus sanctus; et quia nemo implet legem nisi per gratiam Spiritus sancti. »

Communior sententia cum à Lapide dicit Pentecosten illo anno incidisse in sabbatum, et Spiritum sanctum descendisse postridie.

Nec obstat quod Act. 2 dicit S. Lucas: *Cum complerentur dies Pentecostes; quia id intelligi debet, cum*

dies quinquaginta essent completi, sive transacti; adeoque die quinquagesimâ primâ à secundo die Azymorum venit Spiritus sanctus. Vel dicendum est quod Lucas intelligat Pentecosten, non Judæorum, sed Christianorum; quia scribit Christianis, qui Pascha et Pentecosten celebrabant alio die quam Judæi, scilicet dominico.

Hæc sententia pro eâ parte quæ dicit Spiritum sanctum tantum descendisse, dum quinquaginta dies erant completi, nullo modo videtur subsistere. Nam verba illa: *Cum complerentur*, juxta ordinariam Scripturæ sensum, significant: Cum dies inciperent compleri: vel, cum dies, qui nominantur, adesset. Sic, dicit Luca 2, v. 1, dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, non significatur quod puer fuerit circumcisus die nono.* Item cap. 9, v. 31, de Christo, dum instabat tempus passionis ejus, dicit: *Dum compleretur dies assumptionis ejus.* Atqui per hoc non potest intelligi quod illi dies modò essent completi seu transacti; ergo similiter non potest intelligi quod dies Pentecostes fuerint completi seu transacti, dum descendit Spiritus sanctus. Non enim est credibile S. Lucam in Actibus apostolorum recessisse ab ordinario suo modo loquendi.

Nec etiam dici potest S. Lucam loqui de Pentecoste Christianorum. Nam imprimis non est certum quod Pentecoste Christianorum tunc existerit, seu tunc jam inde statutum fuerit quod illud deberet semper celebrari die dominico; quia primi Christiani celebrabant Pascha et Pentecosten eodem die quo Judæi illa celebrabant; et illa consuetudo viguit apud Asianos usque ad Vicorem papam, qui, congregatis pluribus conciliis, circa finem seculi secundi coegit Asianos à sua consuetudine recedere. Ergo S. Lucas, qui Acta apostolorum scripsit seculo primo (juxta aliquos circa annum 65), non potest intelligere Pentecosten Christianorum, sed Judæorum. Vide etiam Act. 20, v. 6 et 16, ubi loquitur de Paschate et Pentecoste, non Christianorum, sed Judæorum.

Secundò, quamvis Pentecoste Christianorum existisset, dum S. Lucas scripsit Acta apostolorum, tamen certissimè non exstabat illo anno quo Christus mortuus est: atqui S. Lucas intelligit Pentecosten illius anni, quo Christus mortuus est, cum acta illius anni describit; ergo non intelligit Pentecosten Christianorum, sed Judæorum. Sic si aliquis hodieum scriberet aliquam historiam, quam diceret accidisse in Paschate istius anni quo Christus mortuus est, non loqueretur de Paschate Christianorum, sed Judæorum; ergo similiter S. Lucas non loquitur de Pentecoste Christianorum, sed Judæorum. Unde finitior: dum S. Lucas agit de Paschate, non agit de Paschate Christianorum, sed Judæorum; ergo similiter, dum agit de Pentecoste. Quare ad argumentum supra propositum.

Resp. et dico: Judæi debuerunt quidem computare quinquaginta dies à secundo Azymorum inclusivè, quando dies ille secundus non incidebat in sabbatum. Dicit autem incidit in sabbatum, prout incidit anno

mortis Christi, tunc tantum poterant incipere computare à die tertio: nam debebant incipere à die quo metebant manipulum primitiarum: atqui sabbato metere non poterant; ergo, etc.

Inst. 4<sup>o</sup>: Poterant metere ante festum: nam nulli dicitur quod deberent metere secundo die Azymorum.

Resp. Neg. assumpt. ejusque probationem; nam si ante festum messissent, debuissent ante festum incipere solum computum; quia clarè et expressè dicitur, Deuter. 16, v. 9: *Septem hebdomadas numerabis tibi ab eâ die qua falcem in segetem miseris.* Quod autem metere debuissent secundo die Azymorum, patet ex textibus supra citatis, dicentibus computum incipiendum esse à secundo die Azymorum.

Inst. 2<sup>o</sup>: Demessio manipuli erat actus religiosus, æque ac occisio animalium, detractio pellis, etc. Atqui hæc poterant fieri in sabbato; ergo etiam demessio manipuli poterit fieri in sabbato.

Resp. Neg. maj. Nam primò illa demessio manipuli erat initium laboris communis, seu publicæ messis; debebant enim hunc manipulum offerre Deo, tanquam primum fructum sarræ agriculturæ; adeoque non poterant ante metere reliquam messiam, quam manipulum obtulissent. Unde Josephus, lib. 3 Antiq., cap. 10, dicit: « Secundâ Azymorum die, quæ est mensis hujus decima sexta, frugibus demessit, et factentis iuteris incipunt frui; æquumque rationem hujus ubertatis antequam per gratitudinem honorari; hordei primitias offerunt... et ex eo licitum est publicas ac privatas messes metere. » Ergo illa messio erat labor communis agriculturæ, et manipulum offerebant, tanquam primitias laboris sui.

Similiter Levit. 25, v. 10, non dicitur: *Metatis aut offeratis*, quod aliquo modo posset significare actionem sacrificativam saltem remotè: sed dicitur: *Cum messeritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem.*

Secundò, demessio illa fiebat à quolibet, vel saltem fieri poterat; nam, ut ex mox citatis Scripturæ verbis liquet, debebant ferre manipulos quando messerant segetem: atqui actus sacrificativi, ut occisio animalis, detractio pellis, etc., non poterant fieri nisi à solis sacerdotibus, et Levitis adjuvantibus; ergo, etc.

Tertio, quamvis possent in sabbatis offerre similia, non poterant tamen molere, cribrare, etc., etiam in ordine ad sacrificium; ergo nec poterant metere in ordine ad sacrificium.

Inst. 3<sup>o</sup>: Poterat fieri ut secundo die Azymorum seges non esset matura, et per consequens nondum posset demitti; et tamen illo die debebat offerri manipulus; atqui tunc nondum messis incipiebat; ergo illa demessio non erat initium laboris communis.

Prob. maj., quia luna paschalis uno anno subinde venit integro mense citius quam alio anno.

Resp. 1<sup>o</sup>: Neg. maj. Quia in illa regione circa pluvium æquinoctiale semper segetes erant mature: nam dicitur in Scripturâ, Josue 3, v. 16, tempus mes-

sis. Item Exodi 15, v. 4, vocatur *mensis novarum frugum*. Cap. 25, v. 15, et cap. 34, v. 18, *mensis novarum*, scilicet fructum, etc. Unde ex illo argumento ad summum posset sequi quod illo anno, quo luna æquinoctialis veniebat seriis, deberent tantò diutius expectare ad metendum.

Resp. 2<sup>a</sup>, propter casum satis rarum non mutari legem, aut ejus finem. Erat autem casus satis rarus, et fortè nunquam accidit, quòd hordeum mense Nisan non fuisset maturum: nam hordeum semper maturarescit ante reliquam messem; adeoque etiãsi messis nondùm adesset, tamen hordeum erat maturum. Vel Deus providebat ut tunc semper esset messis, sicut providebat illis sufficientem messem annis sabbaticis et jubileis, quibus nec arare poterant, nec seminare, nec plantare, etc.

Denique sat est quòd debuerint offerre manipulum, quia erat primitie messis; et prius non possent ullam messem metere, nec mataram nec immaturam, ut ista demessio esset initium laboris communis, vel in lege haberetur ut talis.

Inst. 4<sup>a</sup>: Quamvis Exodi 35, v. 2, dicatur de sabbato: *Ignem non succendetis in cunctis habitaculis vestris*, tamen quãdo Pascha incidebat in sabbatum, poterant assare agnum paschalem; ergo etiã poterant metere manipulum, quando secunda dies Azy-morum incidebat in sabbatum.

Resp. Neg. conseq. Nam assatio agni paschalis erat ritus sacrificativus istius agni, et quasi complementum istius sacrificii, sicut combustio partis, aut totius animalis erat complementum aliorum sacrificiorum; et sicuti sacerdotes et levitæ foventes ignem in altari holocaustorum, non violabant sabbatum, ita nec patresfamilias assando agnum paschalem. Unde magna est inter utrumque disparitas: nam demessio non erat actus sacrificativus, sed tantùm preparatio rei sacrificandæ. Unde qui voluissent in aliquo sabbato spontaneè offerre aliquos manipulos (nota bene) non potuissent ire ad agrum suum, et ibi illos manipulos metere; quamvis si illi manipuli ante sabbatum messi fuissent, potuissent illo sabbato terri, cremari, etc. Ergo clarum est quòd demessio non foret actus sacrificativus, sed opus servile in sabbato prohibitum.

Inst. 5<sup>a</sup>: Si illis annis quibus secunda dies Azy-morum incidit in sabbatum, Judæi computassent quinquaginta dies à tertiâ die, festum Pentecostes tunc celebratum fuisset die septimâ mensis tertiâ; atqui tamen, ut supra dictum est, festum Pentecostes celebrari debebat die sextâ mensis tertiâ; ergo Judæi nunquam computaverunt quinquaginta dies à tertiâ die Azy-morum.

Resp. Neg., conseq. Nam licet ordinariè seu regulariter deberet celebrari sextâ die mensis tertiâ; tamen quando non poterat offerri manipulus primitiarum die secundo Azy-morum, tunc festum Pentecostes transferrebat in diem septimam mensis tertiâ. Itaque sicut illi qui die decimâ quartâ mensis primi erant immundi, debebant transferre suum Pascha in diem decimam quartam mensis secundi, ut habetur Numer. 9, v. 10;

ita similiter Judæi debuerunt ad unum diem transferre Pentecostem, ne facerent opus servile in sabbato.

Obj. 6<sup>a</sup>: S. P. Aug., tract. 120 in Joan., ait acceleratam fuisse Domini sepulturam propter paraseven Judæorum, quia *ea nocte cenam puram comesturi erant*. Ergo Judæi tantum manducaverunt cenam agni paschalis illâ die quâ Christus mortuus est, ac proinde Christus celebravit ultimum Pascha unâ die ante ipso.

Resp. Neg. conseq., quia S. Aug., loco citato, non loquitur de cenâ agni paschalis, sed cenâ quãcumque solemnî, quâ Judæi in pervigilio, id est, in vigiliâ sabbati ad vesperam, seipsos reficere solebant.

Ceterum quòd S. Aug. fuerit in nostrâ sententiâ, patet ex epist. 86, ubi docet quòd Christus cum discipulis suis manducaverit agnum paschalem pridic festivitatis primæ, seu diei Azy-morum, adeoque eodem die quo cum manducaverunt Judæi. Verba ejus sunt: « Ipsa quartâ sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad Dominum occidendum fecisse Judæi. Intermissio autem uno die, et cujus vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quam vocamus quintam sabbati: deinde traditus est eâ nocte quæ jam ad sextam sabbati, qui dies Passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azy-morum fuit, et à vesperâ incipiens. Sed Matheus quintam sabbati dicit fuisse primam diem Azy-morum; quia ejus vespere sequente futura erat cena paschalis, quia tunc incipiente incipiebat Azy-mum et ovis immolatio manduciari. »

#### QUESTIO IV.

*Quis sit ordo et sensus verborum Christi, quæ habentur Lucæ 22, v. 17, et 18.*

Christus in ultimâ cenâ, citato capite S. Lucæ v. 15 de Agno paschali dicit: *Desideravi desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*. V. 16: *Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*. Assignat ibi Dominus rationem cur desideraverit hoc pascha manducare, scilicet quia erat ipsi futurum ultimum pascha veteris legis, cui successit novum pascha nove legis. Sensus ergo est: Desideravi hanc cenam paschalem vobiscum agere: nam erit meum ultimum pascha veteris legis, in quo insitutum novum pascha nove legis, quod implebit figuram veteris, et per consequens illud abrogabit. Porrò quod v. 16 dixit de agno paschali, etiã dixit de calice; nam pergit immediatè S. Lucæ v. 17: *Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos*. V. 18: *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*. V. 19: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum... V. 20: Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, etc.* Queritur hic an Christus his calicem propinaverit, scilicet semel post cenam agni paschalis, et semel post institutionem Eucharistiæ; adeoque an illa verba: *Non bibam de*

generatione vitis, dicta sint de calice agni paschalis, ut voluit multi interpretes, an verò dicta sint de calice eucharistico.

Resp. et dico: Juxta S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 1, Christus illa verba dixit, non de calice cenæ agni paschalis, sed de calice cenæ eucharisticæ, sive de calice consecrato. Unde S. Lucas hæc verba: *non bibam de generatione vitis* referens ante consecrationem panis, usus est anticipatione: et sic quòd de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret, deinde postquam panem dedit, illud quòd superius dixit, præoccupavit ut solet; illud verò quòd ordine suo posuit, non commemoraverat superius, inquit S. Aug., loco citato. Hæc sententiâ

Prob. 1<sup>a</sup> quia Lucas loco præcitato eadem verba (saltem quoad substantiam) refert à Christo esse dicta de calice, quæ referunt Mattheus, cap. 26, v. 29, et Marcus, cap. 14, v. 25. Atqui hi evangelistæ ista verba referunt esse dicta de calice consecrato; ergo et eodem illa refert Lucas.

Prob. 2<sup>a</sup> quia Christus in ultimâ cenâ, postquam propinasset calicem agni paschalis (si tamen hunc calicem propinaverit), adhuc accepit calicem, nempe eucharisticum; ergo antea non recte poterat dicere: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*. Aliàs enim apostoli videntes illum accipientem calicem secundâ vice, suspicari potuissent ipsum vel non verum dixisse, vel propositum mutasse.

Obj. 1<sup>a</sup>: Lucas distinctè agit de utraq. cenâ, et de utroque calice; et de cenâ agni paschalis dicit: *Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*. Ergo etiã de calice agni paschalis dicit: *Non bibam, etc.*, præsertim eum de calice consecrato agit postea, scilicet v. 20.

Resp. Neg. ant. pro secundâ parte, ac dico Lucam tantum agere de uno calice, nempe de consecrato; de cujus quasi preparatione agit v. 17, et de cuius consecratione agit v. 20: nam v. 17, agit de illo calice quo accepto Christus gratias egit, etc. Atqui ex Matheo et Marco constat quòd gratias egerit pro insituendo calice eucharistico, non verò pro calice profano; ergo. Unde legitur quidem Christus gratias egisse dum erat facturus aliquod miraculum, ut in multiplicatione panum; sed non, dum erat facturus naturalia. Quare dicunt Matheus, Marcus et Lucas quòd Christus instituitur Eucharistiam, accepit panem, et grat as egerit; nullus tamen ipsorum, nequidem S. Lucas, dicit quòd manducaturus pascha, accepit agnum, vel panem paschalem, et gratias egerit. Ergo, dum S. Lucas agit de isto calice, cui Dominus præmisit gratiarum actionem, agit de calice non profano, sed eucharistico, de quo agunt duo alii evangelistæ.

Obj. 2<sup>a</sup>: Lucas bis loquitur de calice; atqui non agit bis de eodem calice; non enim solent evangelistæ bis unam et eandem rem narrare; ergo v. 17 non agit de calice eucharistico.

Resp. Disting. maj.: Bis loquitur de calice, eodem moraliter loco, concedo. Diverso loco, nego maj. Nam

consecrationem calicis v. 17 et 18 inceptam, tantummodo interruptit, ut consecrationem panis, quam omiserat, interponat; quâ interpositâ, consecrationem calicis proseguunt et absolvit. Patet hoc ex eo, quia si consecrationem panis omittat, vel parentesi intereludat, videbis quòd verba v. 17 et 18 intelligantur de eodem calice, de quo agitur v. 20, sinimirum verba disponantur hoc modo: *Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat* (et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum... Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens): *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Itaque si verba anteriora et posteriora simul jungas, habebis eundem ritum, et eandem formam consecrationis calicis, quam tradunt duo alii evangelistæ.

Petes an Christus corpus suum et sanguinem sumperit.

Resp. Affirmativè: nam voluit docere sacerdotes, ut non solum consecrarent, et Sacramentum exhiberent, sed etiã ipsi sumerent. Unde S. Chrysost., hom. 85 in Matth. dicit: « Christus bibit ex calice, ne auditis illis verbis, dicerent: Quid ergo sanguinem bibimus; et carnem comedimus? et perturbarentur. » Ne igitur hoc accideret, primus ipse hoc fecit, ut « tranquillo animo communicationem mysteriorum induceret. » Idem habent Theophylactus et Euthymius. Hanc sententiam tenet D. Thom., 3 p., q. 81, a. 1, et post ipsum theologi communiter.

#### QUESTIO V.

*An Eucharistia data fuerit Judæo.*

Resp. affirmativè. Prob. 1<sup>a</sup>, quia Matheus, cap. 26, v. 20, dicit Christum discubuisse cum duodecim apostolis: Idem habet Marcus, cap. 14, v. 18, et de calice consecrato subdit v. 25: *Etiã biburum ex illo omnia; scilicet illi, qui cum Christo ad cenam venerant; nam nullam omninò faciunt mentionem quòd Judas tunc modo abivisset, quam tamen facere debuissent, si rectè scribere voluissent, quia antea scriperant: Discubuit cum duodecim.*

Confirmatur. Non rectè narraret aliquis historiam septem fratrum (2 Machab. 7) si diceret: *Septem fratres comprehensum sunt, quos omnes jussit Antiochus interfecit, si unus illorum interfectus non fuisset, et historicus ille nullibi mentionem faceret quòd unus illorum septem tunc abivisset, et interfectus non fuisset.* Ergo etiã Matheus et Marcus non rectè narrassent historiam ultimæ cenæ, si Judas ante institutionem et distributionem Eucharistiæ abivisset.

Prob. 2<sup>a</sup> ex Evangelio S. Lucæ, cap. 22, v. 21, ubi Christus post consecrationem corporis et sanguinis sui, ac utriusque distributionem discipulis presentibus factam, immediatè subjungit: *Veritatem ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Ergo Judas aderat, et consequenter corpus et sanguinem Christi, æquè ac alii sumperat.

Prob. 3<sup>a</sup> quia Judas interfuit lotioni pedum, ut pa-

tet ex Joan. 13, v. 10, ubi Christus dicit: *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum*, inquit evangelista ibidem v. 11; Ergo Judas accepit Eucharistiam, ad quam lotio illa dirigebatur: presertim cum non legatur immediate post lotionem abisse, sed tantum post acceptam buccellam intinctam.

Prob. 4<sup>o</sup>, quia Eucharistiam datam fuisse Jude, antiqui Patres, excepto S. Hilario, communiter docuerunt. Siquidem ita docuit S. Chrysost., hom. 85 in Math., item S. Hieron., lib. 2 contra Jovinianum, S. P. Aug., tract. 62 in Joan., et in Psal. 10 ita scribens: *Dominus tradidit eum tantu potentia pertulit, ut ei Eucharistiam...* scilicet ceteris apostolis traderet. Similiter etiam docent S. Leo, serm. 7 de Passione; Euthymius, in cap. 26 Math., S. Bernardus, serm. de Cenâ, et D. Thomas, 5 p., q. 81, a. 2.

Obj. 1<sup>o</sup>: Christus Math. 26, v. 29, ait: *Dico autem vobis: Non bibam amara de hoc genimine vitis, usque in diem illud, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Atqui Judas non erat illud postea bibiturum cum Christo in regno Patris; ergo nec antea liberat de calice Christi.

Resp. Neg. consequ., quia, quamvis et vobiscum loco citato significet totum cœtum apostolorum, eum tamen non designat ratione singulorum individuum, sed tantum ratione majoris partis; eodem ferè modo, quo ante cœtus designatur Math. 19, v. 28, ubi dicitur: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Unde sicut non sequitur quod Judas, quamvis non esset cum Christo judicaturus duodecim tribus Israel, à collegio apostolorum abluerit, dum jam memorata promissio apostolis facta est; ita pariter non sequitur quod abluerit, dum Eucharistia instituta est.

Aliud ad præmemoratum argumentum responderi potest, dicendo quod præcitata Evangelii verba quidem significant Judam fuisse bibiturum vinum in regno Patris, quantum erat ex parte Christi, quamvis ex sua malitia se à cœlesti cenâ separaverit. Unde S. Thomas loco supra citato, ad 1, ait: *« Dicendum est quod illa ratio est S. Hilarii, ad ostendendum quod et Judas Christi corpus non sumpsit; non tamen cogit, et quia Christus loquitur discipulis, à quorum collegio et Judas se separavit, non autem Christus cum excludit; et ideo Christus quantum est in se, etiam cum et Judâ vinum in regno Dei bibit; sed hoc convivium et ipse Judas repudiavit. »*

Obj. 2<sup>o</sup>: Judas erat publicus peccator; ergo Eucharistia non potuit illi tradi.

Prob. ant., quia Christus ante institutionem Eucharistie plus quam semel indicavit apostolis aliquem esse traditorem. Primum dum dixit, Joan. 13: *Vos mundi estis, sed non omnes.* Secundum dum addidit: *Non de omnibus vobis dico: ego scio quis elegerim.*

Resp. Neg. ant. Nam Christus per illa verba nequaquam ita aperte revelaverat crimen Jude proditoris, ut apostoli poterint in illius devenire notitiam; siquidem verba ista tantum designant quod unus ex

duodecim apostolis Christum foret traditurus; sed quisnam ille esset, nequaquam indicant, ubi patet ex quest. seq. Deinde etiam dato antecedente, nego consequentiam; quia Christus potuisset habere justas causas dandi illi Eucharistiam, quamvis hoc nolis non liceat respectu publici peccatoris, sive privatum sive publice penitentis.

Obj. 5<sup>o</sup>: Innocentius III, lib. 4 de Mysterio Eucharistie, cap. 13, dicit: *Patet quod Judas prius exiit, quam Dominus tradidit Eucharistiam.* Item dicitur Rupertus in cap. 6 Joan.; Clem., lib. 5 Consilii apost., cap. 15; Dionysius Areopagita, prout ipsum explicant Georgius Pamicher, Areopagite Scholasticus, et D. Maximus antiquus Dionysii interpres; Tatianus et Turrianus, Ita Barradius.

Resp. Innocentium III id tantum dixisse tanquam privatum doctorem; ejus autem auctoritati oppono auctoritatem Eugenii papa, cap. *Si sacerdos*, de Officio judicis ordinarii, dicentis: *Nec Christus Judam à communione removit.* Verba verò S. Dionysii sunt valde ambigua, etiam teste ipso Barradio; nam, lib. de Ecclesiasticis Hierarch., ita loquitur: *Et ipse antea symbolorum (Christus) justissime separat eum qui non sicut ipse concenauerat.* An autem illa verba significant: Justissime separat Judam ab Eucharistia, ut explicant Pamicherius et D. Maximus, an verò significant: Separat Judam qui male concenauerat, id est, communicaverat, à consorcio apostolorum, dicendo, Joan. 13, v. 27: *Quod facis, fac cœtus, heret in questione.* Puto autem quod posterior explicatio sit melior, quia Judas non ita male concenasset, si in statu peccati mortalis tantum agnum paschalem manducasset; nam ad illum juxta præscriptum legis manducandum non requirebatur status gratie: aliâ enim etiam à connectione agni repelli debuisset, cum antea in filo statu cum Christo conversatus fuisset.

Quoad alios interpretes sciendum est, quod plures quam illi nobis consentiant. Etiam auctoritas Clementis in Constitutionibus Apostolicis non multum urget, quia, ut omnes consentiant, plura ibi sunt apocrypha.

#### QUESTIO VI.

*Quandonom Dominus declaraverit suum proditorem.*

Peractâ cenâ paschali, et pedum lotione, cum Christus recubasset iterum, turbatus est spiritus, et protestatus est (id est, palam, aperte et clarè testatus est) et dixit: *Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me*, Joan. 13, v. 21. Dubium est hic, an Christus illa verba dixerit ante institutionem Eucharistie, an post, quia Joannes illam institutionem omittit, Matthæus autem et Marcus hanc predicationem præponunt institutioni Eucharistie, Lucas verò postponit. Unde sunt hic tres sententiæ probabiles, inquit à Lapide.

Prima est Jansenii et Francisci Lucae, qui censent Christum proditorem Judæ prædixisse post institutionem, ut habet Lucas; quare Matthæum et Marcum dicunt antè anticipationem. Unde ipsi institutionem Eu-

charistie collocat immediate ante præcitatum versum 21 Joannis. Ratio est, quia si ante Eucharistiam Judæ proditorem prædixisset, turbasset apostolos, et commovisset ad iram, ac minis dispositos attentosque ad Eucharistiam reddidisset.

Hæc tamen ratio non concludit: nam ante Eucharistiam prædixit Christum suam passionem et mortem que multo amplius apostolos turbavit. Deinde eundem paulo post institutionem Eucharistie, ut ipsi fatentur, prædixit proditorem Judæ; que tunc ipso turbavit, ut ad recollectionem animi, que post Eucharistiam requiritur, minis attenderent. Denique hæc Christi prædictio proditoris Judæ, ante Eucharistiam valuit tum ad Judam à scelere deterrendum, tum ad apostolorum animos compungendos et sollicitos reddendos, ut conscientiam suam quisque examinaret, ne in eâ Christus aliquid inveniret, quod ipse, æque ac scelus Judæ, revelare et carperet posset.

Secunda sententia, primæ planè contraria, est Baronii ad annum Domini 54, cap. 58, et aliorum, qui censent Christum prædixisse Judæ proditorem, non post, sed ante institutionem Eucharistie, ut habent Matthæus et Marcus; quare dicunt Lucaem uti postpositione. Putat ergo Baronius rem gestam esse hoc ordine quo à Joanne recensetur; nimis enim post pedum abluitionem Jesum habuisse sermonem de prodicione, et tunc Joannem proditorem roganti signum illud per intinctam buccellam dedisse. Quod autem dicit Judam acceptâ buccellâ continuo exivisse, id quidem non ita accipiendum putamus, ait Baronius, ut tunc temporis statim, et nulla interpositâ morâ abierit, sed quod, velut foret quodam percitus, non expectaverit prolixam illam post cenam habitam à Domino concionem.

Sed contra hanc sententiam facit quod Lucas cap. 22, tam aperte dicit Judam interfuisse cenæ eucharistice, ut dici nullo modo possit quod utatur postpositione: nam facit tantum unum sensum continuum ex formâ calicis, et predicatione proditoris Judæ. Ait enim, v. 20 et 21: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, necum est in mensâ.* Etenim per hæc verba exaggerat Dominus crimen traditoris, et facit atrocitatem exponit, quasi diceret: Etsi meum vobis sanguinem bibendum tradam, et jam sanguis ille sit pro vobis effundendus, tamen ecce manus ejus, qui mox est me traditurus, imò qui animo suo jam me tradit, necum est in mensâ. Unde in textu citato patientia, verumtamen, nullam habet aptam significationem; si S. Lucas uteretur postpositione.

Tertia ergo sententia apparet verior, scilicet Christum prædixisse proditorem Judæ ante institutionem Eucharistie, et post illam eandem reiterasse: tum quia illam, ejusque atrocitatem valde sensit et indoluit, imò turbatus est spiritu, ut ait Joannes; tum ut Judæ suum scelus objiceret, ac se illud scire indicaret, eumque ab illius executione absterret; tum ut apostolorum animos compararet, et hæc predicatione præmuniret, ne mox reipsâ visuri Judæ proditorem

tionem, et Christi captivitatem, percellerent, sed in ejus fide constanter persisterent. Hæc autem ratione conciliamus optime Matthæum et Marcum cum Luca, dicendo nempe quod omnes hi tres evangeliste rem gestam suo ordine narraverint.

Est etiam hæc sententia expressa S. P. Aug., lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 1, Euthymii et Toleti, qui asserunt hunc fuisse rei gestæ ordinem: Peractâ jam paschalis agni cenâ, et communi seu usuali inchoatâ, illis cenantibus surrexit Christus, lavitque discipulorum pedes; quibus lotis, iterum recubens dixit omnia que Joannes cap. 15 narrat, à v. 12 usque ad 21. Tunc turbatus spiritu de suo proditore loquitur, et interrogat unumquisque: *Numquid ego sum, Domine?* Matth. 26, v. 22. Deinde Judæ singulariter interroganti respondet: *Tu dixisti*, ibidem, v. 25. Illis peractis, Eucharistiam instituit; quâ institutâ, et mysterio peractò, iterum de proditore loquitur, ut refert Lucas, cap. 22, v. 21: *Verumtamen ecce manus tradentis me, necum est in mensâ.* Tunc Petrus interrogat Joannem: *Quis est de quo dicit?* Joan. 13, v. 25. Et Joannes interrogans Jesum audit: *Cui ego intinctum panem porrexero*, ibidem, v. 26. Et post hæc buccellam introivit Satanas in Judam, et ipse abiit. Hinc patet institutionem Eucharistie non ante versum 21, ut vult Jansenius, sed ante versum 23, cap. 15 Joan.: *Erat ergo unus recubens...* in sinu Jesu, etc., collocandam esse.

Dices: Si Dominus ante Eucharistiam dixerit Judæ: *Tu dixisti*, non erat necesse ut illum Joanni manifestaret post Eucharistiam; nam jam omnes apostoli sciebant quis eorum est proditor.

Resp.: Nego assumpt., et dico cum S. Aug., lib. 5 de Consens. evangelist., cap. 1, etiam dum Judæ interroganti, Matth. 26, v. 25: *Numquid ego sum, Rabbi?* Christus respondit: *Tu dixisti*, nondum expressum fuisse, utrum ipse esset. *Potest enim adhuc intelligi tanquam dixerit: Tu dixisti, non ego dixi.*

Si quis tamen urgeat loco citato Matthæi expressum fuisse proditorem, eò quod iste modus loquendi videatur Hebræis esse familiaris affirmatio, ut patet ex Matth. 26, v. 64, ubi Caiphas sic istam locutionem intellexit, et Marcus, cap. 14, v. 62, cum exprobrans, dicit ejus loco Christum dixisse: *Ego sum*; et Joan. 18, v. 27, eodem modo Christus dicens Pilato: *Tu dicis, quia rex sum ego*, affirmat se esse regem. Si quis, inquam, hoc urgeat, ulterius responderi potest cum S. Aug., loco præcitato: *Potuit etiam hoc dici sic à Judâ, et à Domino responderi, ut non omnes adverterent; sed à solo Judâ intelligeretur; quia forte submissius dictum fuit, vel quia undecim illi apostoli nimis turbati ad responsonem Christi non reflexerunt.* Et ideo necdum Petrus destitit inquirere à Joanne, et ipse Joannes interrogare Christum: *Domine, quis est?* scilicet proditor; Joan. 25, v. 24 et 25. Et post hanc interrogationem tantum manifestatus fuit proditor per porrectionem panis intincti.

Petes 1<sup>o</sup> an buccella data Jude, fuerit Eucharistia.

Resp. negativè : Nam Dominus non consecravit panem intinctum, sed panem sicum. Item buccella intincta porrecta est soli Judæ, Eucharistia verò omnibus apostolis distributa fuit. Denique ex supra dictis satis clarum est quòd Judas illam buccellam tantummodo accepit, postquam janiam Eucharistia omnibus distributa fuisset.

Dices : S. P. Aug. per buccellam intinctam intelligit corpus Christi; nam, tract. 6, et rursus tract. 26 in Joan., agens de Eucharistie sacramento, dicit: *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Ergo, etc.*

Resp. : Neg. ant., quia locis citatis non dicit illam buccellam esse eandem cum illa de qua Joannes loquitur cap. 13, sed simpliciter dicit: *Buccella Dominica*; quod de Eucharistia optimè intelligi potest, licet illa buccella non sit panis intinctus, de quo capite agens agit Joannes. Unde Augustinus ex professo agens de illo pane intincto, apertissimis terminis docet per buccellam intinctam non posse intelligi Eucharistiam; imò tanquam negligenter legentes arguit illos qui de Eucharistia præcitatum Joannis textum intellexerunt. Verba ejus, tract. 62 in Joan., sunt sequentia : *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc et Judas Christi corpus accepit : intelligendum est enim quòd jam omnibus eis distribuerat Dominus et sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse et Judas erat, sicut S. Lucas apertissimè narrat. Ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Augustini apertissimè Dominus per buccellam et intinctam atque porrectam suam exprimit proditoricè rem.* Vide etiam D. Thomam, 5 part., q. 81, a. 2, ad 5.

Petes 2º quo sensu dicat Lucas, cap. 22, v. 3 : *Intravit autem Satanas in Judam.*

Resp. ipsum id non eo sensu dicere quasi Satanas occupasset corpus Judæ, ut sit in energumenis, sed quia pessimum venditionis Christi voluntatem illi inspiravit. *Quomodo*, inquit S. Augustinus, *intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum?* lib. 5 de Cons. evangelist., cap. 1, juxta illud Joan. 13, v. 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Ibidem autem, v. 27, de eo rursus dicitur : *Et post buccellam introiit in eum Satanas.* Attamen sciendum est quòd per hæc verba non significatur quòd tunc demum Satanas in eum intraverit; sed tantum insinuetur quòd post acceptam buccellam plenius à diabolo possessus sit, quam fuerat ante, prout explicat S. Aug., loco citato, dicens : *Cum intelligere debemus à diabolo Judam plenius esse possessum; sicut contra in bono illi qui jam acceperant Spiritum sanctum, quando eis post resurrectionem insufflavit, dicens : Accipite Spiritum sanctum, postea eum, cum desuper missus esset in die Pentecostes, utique plenius acceperunt.*

#### CAPUT XXV.

Postquam Judas e comæno egressus est, discipuli inter se contenderunt quis eorum videretur esse major, et consequenter à proditorie alienior : quo-

rum studium præposterum repressit Christus, Luca 22, à v. 24 usque ad 51; deditque mandatum novum dilectionis, Joan. 15, v. 54. Deinde Petro jactanti constantiam suam prænuñciavit triam negationem, Luca 22, à v. 51 usque ad 58; Joan. 13, à v. 56 usque ad finem. Post hujusmodi triste vaticinium humanissimè consolatus est, et erexit discipulorum animos prolixo sermone, Joan. toto capite 14, 15 et 16, quem complevit oratione ad Patrem fusà pro apostolis, et pro omnibus credentibus, ibidem toto capite 17.

#### QUESTIO PRIMA.

*Quoties Dominus Petro prædixit negationem, et de quo galli cantu loquatur.*

Resp. et dico 1º : Dominus prædixit Petro negationem tertio. Ita S. P. Aug., lib. 3 de Cons. evangelist., cap. 2.

Probat, quia tres diversas circumstantias narrat evangelistæ, in quibus dicitur Petrus expressisse presumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et illi à Domino responsum quòd eum esset ante galli cantum ter negaturus, inquit S. Aug., loco citato. Ergo tertio Christus ipsi prædixit negationem.

Prob. ant. Primà vice ei prædixit Joan. 15, v. 56, ubi occasione verborum suorum ad Petrum : *Quòd ego eado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea.* V. 57 : *Dicit ei Petrus : Quare non, possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.* V. 58, respondit ei Jesus : *Animam tuam pro me ponas? amen, amen dico tibi : Non cantabit gallus, donec ter me neges.*

Prædixit ipsi secundà vice occasione aliorum verborum, Luca 22, v. 52 : *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* V. 55 : *Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.* V. 54 : *At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nōsse me.* Hæc dux predictiones factæ sunt in comæno.

Tertià verò predictio facta est in vià ad montem Oliveti, et iterum occasione aliorum verborum, scilicet Matth. 26, v. 50 : *Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* V. 51 : *Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istà nocte.* V. 53 : *Respondens autem Petrus, ait illi : Quæ si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabo.* V. 54 : *Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Idem habet Marcus, cap. 14, v. 26 et seq. Ergo tres sunt diversæ circumstantiæ; seu tres diversi sermones Christi, in quibus Petrus expressit presumptionem suam, et negatio ipsi à Domino prædicta fuit.

Dices : Intoleranda fuisset Petri præsumptio, si post tertiam predictionem ausus adhuc fuisset dicere Marci 14, v. 51 : *Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Ergo non ter, sed tantum bis videtur ipsi Dominus prædixisse negationem; nempe semel in comæno; et de hæc predictione agunt Lucas et Joannes : et postea iterum in vià ad montem Oliveti, uti dicunt Mattheus et Marcus.

Resp. Neg. conseq. Nam quòd predictio negationum, de qua agit Joannes, non sit eadem de qua agit Lucas, inde liquet quòd utraque sit facta in diversis circumstantiis, uti supra probatum est. Quantum autem ad presumptionem Petri, dico eam quidem fuisse magnam; sed quòd fuerit intoleranda, certò probari non poterit. Siquidem proveniebat ex animo valde Christum amante; quique proinde sæpius eodem modo respondisset, si Christus negationem sæpius prædixisset; obruerat enim ejus mentem nimis ardor pectoris, ex quo fumus quidam presumptionis exoriebatur. Dico igitur cum S. P. Aug., loco præcitato, non debere videri incredibile, et aliquantum disjunctis intervallis temporis Petrum commotum esse et ad præsumendum, sicut ad negandum; vel ei Dominum aliquid ter simile respondisse; quandoquidem eadem contextim, nullis aliis interpositis rebus et aut verbis post resurrectionem ter illum interrogaverit, utrum eum amet, et ter hoc idem respondit, etiam ipse mandatum de pasceendis ovibus suis unum idemque ter præceperit.

Dico 2º : Verba Christi : *Non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nōsse me*, intelligenda sunt de primo galli cantu nocturno, pro primà negatione; et de secundo galli cantu, pro secundà et tertà negatione.

Probat, quia Marci 14, v. 50, habetur : *Primum quàm gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.* Deinde v. 68, post primam negationem dicitur : *Et gallus cantavit.* Tum, v. 72, post secundam et tertiam negationem subjungitur : *Et gallus iterum cantavit.*

Dices : Tres alii evangelistæ dicunt absolute : *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Ergo videtur verba illa intelligenda de primo galli cantu futuro post tertiam negationem.

Resp. particulam *bis*, quam addit Marcus, in aliis evangelistis esse subintelligendam, hoc sensu : *Antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Illi ergo dixerunt quidem numerum negationum, sed numerum galli cantus omiserunt, quem Marcus supplèvit, et solus narravit expressius, inquit rursus S. Augustinus.

#### QUESTIO II.

*Quomodo dispungenda sint verba Joan. 14, v. 51 : et an Christus immediatè post discesserit ad hortum Getsemani.*

Postquam Christus undecim apostolos consolatus fuisset, eisquo se alium Paraclitum à Patre missurum promississet, tandem subjungit : *Veni princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, etiam hinc. Ita quidem communiter legunt omnia Biblia, ut post, *facio*, ponatur punctum : sed, ut videtur, non satis benè : nam sensus est imperfectus et similis huic : *Sed ut ostendam quid sim vir honestus, vel : Ut ostendam quòd diligam Patrem, et velim ipsi obedire.* Ille sensus est imperfectus; remanet enim aliquid quo ostendat illud quod asserit. Rectius ergo poneretur tantum comma, et tunc sensus est hic : *Veni princeps mundi, nempe diabolus, et in me non habet quidquam :*

unde non sum meritis mortem. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et quia libenter impleo mandatum ejus de subeunda morte, surgite, etiam hinc ad hortum Getsemani, et ego deinde ad mortem. Hoc modo legitur S. P. Aug., lib. 2 de peccatorum Meritis, cap. 51, et tract. 79 in Joan.; item in Psal. 137; S. Hilarius, lib. 9 de Trinitate, Barradius, Toletus et plurimi alii.

*Surgite, etiam hinc.* Putant Chrysostomus et Euthymius quòd Christus apostolos, jam nimio terrore correptos deduxerit in locum magis abditum et tutiorem, ut ibi attentius audirent illum sermonem, quem evangelista Joannes, cap. 13, 16 et 17, describit. Attamen hæc opinio non apparet satis vero similis : nam Christus in eadem domo mansit, ut mox patebit : in eadem autem domo unus locus non est tutior altero.

Alii verò putant Christum post verba : *Surgite, etiam hinc*, exivisse domo, et in vià ad hortum habuisse illum sermonem. Ita sentiunt Cyrillus, Beda et Toletus; et quidem, ut à Lapide dicit, etiam Augustinus. Sed, salvà ejus fide, Augustinus habet contrarium, tract. 112 in Joan., dicens : *Terminato magno prolixoque sermone, quem post eorum Dominum fundendo pro nobis proximus et adjunctus ad discipulos habuit, qui cum illo tunc erant, et adjecta oratione, quam dixit ad Patrem, deinceps ejus passionem Joannes sic exorsus est : Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introiit, etc.*

Dicendum igitur quòd probabilius sit Christum non statim exivisse illa domo in qua cœnaverat. Primò, quia Joannes non narrat ipsum statim exivisse, sed postis insinuat eum continuasè suum sermonem. Secundò, quia in vià eundo, talem ac tantum sermonem non potuisset commodè dicere, ita ut apostoli omnes ipsum sequentes omnia ista audirent, ac intelligerent. Tertio, quia Joannes cap. 18, v. 4, dicit Christum, finito omni sermone, tandem egressum esse : *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est, etc.*

Dicit ergo : *Surgite*, quia verè è mensù surrexit, et in pedes se erexit, jussitque apostolos idem facere, ut secum abirent in montem Oliveti. Sed ut solent valedicentes chari et amici, qui agrè suis, quos summe amant, valedicunt, et agrè ab ipsis avellunt, sermonem abruptum resumere, et prolongare; unde illud Ovidii, lib. 1 Tristium, elegià 3 :

*Ter lamen tetigi, ter sum revocatus, et ipse, Indulgens animo, pes mihi lardus erat. Sæpè valedico, rursus sum multa locutus, Et quasi discens oscula summa dedi.*

Ita similiter Dominus dat extremum vale, surgit et vult abire; manet stans, sermonem suum resumit, et prolongat usque ad caput 18.

Petes 1º quis sit sensus verborum Christi, Joan. 15, v. 15 : *Majorum hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Resp. Aliqui hic interserunt particulam, *quam*, et legunt : *Quam ut animam suam ponat, etc.*, sed malè :